



Nf. 99.



EPISTOLIVM GRATVLATORIVM
 DE
 VSV GAVDII MEDICO,
QVOD CVM
FRIDERICVS HOFFMANNVS
 MEDICINÆ CANDIDATVS DIGNISSIMVS.
 HALÆ SALICÆ
Julio Mense Anni MDCCXXXIII.
 SVB PRÆSIDIO
VENERANDI PARENTIS
FRIDERICI HOFFMANNI,
 FRIDERICIANÆ SENIORIS,
QVEM DVDDVM MERVIT
DOCTORIS
 GRADVM AC SVMMOS IN ARTE
 HONORES OBTINERET,
 IPSI MITTIT
QVIDAM
 PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ
 STUDIOSVS.

EPISTOLVM GRATVLTORVM
 DE
 VSV GAVDII MEDICO
 QVOD CIVI
 FRIDERIGVS HOFEMANNVS
 MEDICINE CANDIDATVS DIGNISSIMVS
 HALE SALICE
 SVB PRÆSIBIO
 FERVANDI FARRVITIS
 FRIDERICI HOFEMANNI
 FRIDERICIANÆ SENIORIS
 DOCTORIS
 GRADVM AC SVMMOS IN ARTE
 HONORES OBTINERET
 PHILOSOPHÆ AC MEDICINÆ
 STVDIOSVS





Videmus equidem ac quotidie observa-
mus, arctissimum esse, quod animam
& corpus intercedit vinculum atque
commercium; adeo verò intricatum,
& nostri intellectus limites longissime superans, ut
quotquot in illo explicando desudarunt Viri do-
ctissimi, omnes admirati quidem illud, sed nun-
quam expiscati fuerint. Namque iniquum omni-
no foret, ultra nostræ rationis carceres ac fines a
creatore constitutos sapere velle, & eas eruere res,
quarum ignorantiam Deus ob certas causas no-
bis imposuit necessariam, Nonne enim sufficit,
ut sensibus comprehendere liceat, quos anima in
machinam humanam exserat effectus, quosque vi-
cissim hæc in illa excitet motus? Horum autem
clarissimum exemplum animi affectus nobis sup-
peditant; quorum quidem principem sedem in ipsa
mente, effectus vero nonnisi in corpore, ejusque

)(2

fun-

functionibus observabis. Insignis omnino est eorum efficacia in sanitatem atque vitam hominum conservandam non minus ac destruendam: hinc quoque doctissimus VOSSIVS in *Idol. L. 3. c. 36.* hominem illum esse animal describit, quod cum rationem acceperit, vivat tamen secundum affectus; unde omne vitiorum genus & totius vite infelicitas. Verum enim vero visne ex hisce, quæ frequentissime occurrunt, affectuum suorum mancipiis omnes animi commotiones damnare ac noxias prædicare? Absit quam longissime! Quemadmodum enim illæ ex una parte omnes fere infelicitatis atque calamitatis fontes omnino existunt: ita quoque haud vereor, quin easdem ex altera parte omnis felicitatis ac sanitatis nisi auctores, saltem adiutores utique pronunciem. Ut cetera silentio prætermittam, hoc assertum affectu illo animi, quem sub gaudio vel lætitia percipimus, demonstrare annitar. Sub gaudio in animo percipies ideam alicujus rei gratam, ejus amorem, ac voluptatem: hos mentis motus sequuntur ilico corporis mutationes, quæ omnes augmento motuum vitalium, animalium, naturalium absolvuntur. Protinus nimirum intenditur solidarum partium elater, cordis systole velocior redditur, sanguinis circuitus adaugetur, cruor ac subtilissimum fluidum blande expanduntur, ad superficiem corporis propelluntur, muscu-
li

li turgent; & omnia leviter subsultant. Hæc omnia si ultra modum contingunt, irreparabile machinæ nostræ damnum inferreprehenduntur. Sic Blegny *Zod. Gall. anno 3. pag. 28. hæmorrhagiam narium; Rhodius cent. 1. obs. 4. febrem ardentem; Marcellus Donatus in hist. mirab. med. & Lotichius in obs. med. syncopen lethalem; quam A. N. C. dec. 2. anno 1. obs. 22. & Kornmannus de mirac. mort. P. 4. cap. 106. ipsam subitanæ mortem ex enormi ac immoderato gaudio excitata fuisse referunt.* Verum enim vero hæc omnia non obstant, quo minus huic animi affectui in signem ad scribam utilitatem. Veteres philosophi de inveniendō summo bono admodum solliciti, illud tandem in perpetua animi tranquillitate situm esse, tantum non omnes crediderunt: non ne vero sub gaudio insigni tranquillitate mentis, hinc summo bono fruimur? nonne lætitia, quo magis moderata, vera ac divino fundamento suffulta extiterit, eo magis nostræ mentis requiem adauget? Hinc quoque sacræ paginæ vitæ æternæ delicias in assiduo ex summi Numinis intuitu gaudio ponunt; quod etiam in hacce vita fidelibus perpetuam conciliat voluptatem atque tranquillitatem. Sed nec medico lætitiæ desinitur usu: ut enim taceam insignem, quem ex mentis requie nostrum corpus adipiscitur utilitatem; ipsius gaudii moderati tan-

)(3

tam

tam in sanitate conservanda non minus, ac a mor-
bis præservanda atque vindicanda vim, tantam el-
se credo efficaciam; quanta in illa destruenda re-
liquis affectibus, & huic ipsi immoderatis debetur.
Dum enim lætitia humorum motum vegetiorem
ac solidarum partium elaterem robustiorem red-
dit; quid quæso illa convenientius in sanitate con-
servanda reperiri potest: quæ in dictorum motuum
justo robore ac æqui librio unice consistit? Præ-
primis autem hanc exinde salubritatem sibi polli-
ceri possunt tenes atque languidi homines; quibus
teste illustri HOFFMANNO *in med. fundam. p. 158.*
n. 70. ad vitæ prolongationem nihil moderato gau-
dio ferme præstantius est: id quod eo clarius eluce-
scit ex exemplo Jacobi Genes. XLV. p. 27. recensito.
Deinde sicuti animus curis, motu ac sollicitudini-
bus agitatus morbos excitat, adauget & exasperat:
ita e contrario iis non solum præservandis lætus a-
nimus mirifice inservit, verum etiam curandis exi-
miam opem affert. Cuinam incognita sunt exem-
pla acute febricitantium, qui ob gaudium ex im-
proviso amicorum aspectu aliisque causis obor-
tum si non pristinæ valetudini restituti, saltem in-
signiter sublevati fuerunt? ETTMULLERVS *Oper.*
Med. Tom. II. Part. II. pag. 95. notatu dignum al-
legat casum de puero 14. annos nato quartana fe-
bre sollicitato, qui ob dona natalitia circa dies festos
Christi nativitati sacros adeo gavisus fuit, ut peni-
tus

tus febre sua fuerit liberatus. Et quid de morbis chronicis, aut ipsius mentis ægritudinibus dicam? quid læto ac grato consortio illis est convenientius? nonne unico sæpius hoc remedio profligantur? Vnde denique Musices in debellandis ac sublevandis affectionibus tanta vis derivari poterit, nisi ex voluptate ac gaudio inde excitatis? de qua *Edeuwardus Medeira in inaudita Philosophia de viribus musices conferri potest.*

FRIDERICE HOFFMANNE, *Doctor Medicinæ dignissime!* hisce de gaudio meditationibus occasionem dedit gaudium ex honoribus hoc die Tibi collatis perceptum: quas quidem minus dignas iudico, quæ a summorum virorum personis legantur, tamen ne ingratus videar, qui tot tantisque ab illustri Tua gente cumulatus sum beneficiis, ut vobis totus debeat, non potui, quin illas meæ gratulationi præmitterem. Gaudeo enim, Te hodie ad summum illud honorum medicorum ascendisse fastigium, quibus jam dudum unus omnium dignissimus, fuisti: & si mihi liceat disquirere, cur is haud prius potiri volueris, facile perspicio, eam Tibi fuisse rationem, ut *illustri Tuo parenti* in suo demum senio gaudium excitare gestiveris. Hinc porro gaudeo, quod *illustri Tuus parens* gaudeat, & ex intimis precor, ut hoc ipsi gaudium felix faustumque sit; ut inde venerandam senectutem
diu-

diutissime sub perpetuo mentis vigore, assidua-
que corporis alacritate protrahat. Tibi vero,
Doctor præclarissime, ex toto pectore gratulor,
quod spem amplissimorum parentum, omnium-
que bonorum, qui Te jam dudum eum fore spera-
runt, qualem cognitum, judicarunt, adimple-
veris feliciter. Quum enim ad studia natus, illa
egregia doctrina ac industria excoluisti: non sane,
nisi omnia fausta ac bono publico proficua abs
Te sibi ominatur eruditus orbis. Adsit Tuis la-
boribus benignum numen, conservet Te diu sal-
vum, incolumen, lætum, conservet Te reipu-
blicæ, conservet Te erudito orbi, conservet Te
illustri Tuæ stirpi, conservet Te omnibus bo-
nis, conservet Te quoque mihi. Dabam
e musæo X. Calend. August.

MDCCXXXIII.



Gb 1024.


8 8

1024

1024







EPISTOLIVM GRATVLATORIVM
DE
VSV GAVDII MEDICO,
QVOD CVM
FRIDERICVS HOFFMANNVS
MEDICINÆ CANDIDATVS DIGNISSIMVS.
HALÆ SALICÆ
Julio Mense Anni MDCCXXXIII.
SVB PRÆSIDIO
VENERANDI PARENTIS
FRIDERICI HOFFMANNI,
FRIDERICIANÆ SENIORIS,
QVEM DVVVM MERVIT
DOCTORIS
GRADVM AC SVMMOS IN ARTE
HONORES OBTINERET,
IPSI MITTIT
QVIDAM
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ
STVDIOSVS.